



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1721. usque ad annum 1724

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1783**

**VD18 90119304**

§. 3. Quæsitæ Legatæ ab Imperatore propositæ præsentibus Roveda  
Missionario & Patre Fan Jesuita natione Sinensi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67596](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67596)

Sæc. XVIII. tamen fore, eos in pristinam gratiam  
 A. C. 1721. restitutum iri, si Legatus soli Impera-  
 toris voluntati obsecundare intentus  
 fuerit: Verum Mediobarbus, quorum  
 impulsu hæc toties repeterentur,  
 haud ignarus, duntaxat respon-  
 dit, tam procul ab ipso esse omnem  
 creandæ molestiæ voluntatem, ut con-  
 tinuatam Imperialis patrocini gratiam  
 Europæis, sacræque religioni nostræ  
 promereri, nullum non moturus esset  
 lapidem.

## §. III.

*Quæsitæ ab Imperatore proposita Le-  
 gato coram Roveda Missionario  
 & Patre Fan Sinenfi Jesuita.*

*Vian. Relat.  
 della Chin.  
 pag. 101.*

Dimissis Mandarinis Mediobarbus Vi-  
 sitator Jesuitas per quicquid fa-  
 crum, sanctumque orabat, atque ob-  
 testabatur, quatenus nil industriæ ac  
 laboris prætermittere velint, ut Impera-  
 torem ad secundanda Pontificis vota,  
 & postulata permoverent: Hi omnem  
 quidem spondebant operam, Pontificis  
 tamen decretum ejus esse naturæ aja-  
 bant, ut de Imperatoris assensu merito  
 dubitarent. Eadem die Mandarinus  
 Chao Legatum visum ibat, eique non  
 Impera-

Imperatoris nomine, sed ex sinceri amici officio ac impulsu (uti simulaverat) exponebat, ad placandum Imperatorem toties ab Europæis offensum nil magis necessarium esse, nisi ut Legatus suæ Majestatis voto ac voluntati quadrantenus satisfaceret: ad hæc reposuit Legatus, se eo fine venisse, ut pro Europæis, si quo modo Imperatorem offendissent, veniam precaretur, simulque rogaret, ut Imperator sanctæ nostræ legis puritati, quam Pontifex suis decretis conservare studuit, suam protectionem impendere dignaretur, ut vero Imperatoris desiderio satisfaceret, se jamjam quædam Bullæ temperamenta ad eum transmisisse, atque etiamnum polliceri, se omnibus ejus postulatis cessurum, quantum salva sua conscientia, & juxta legationis suæ limites poterit. Interim Pater Fan cum Mandarino *Lypin Chum* & Eunucho *Cinsu* Imperatoris nomine interrogabat Legatum, an paratus esset interposita juramenti religione promittere, quod secretum quoddam consilium sibi ab Imperatore suggerendum soli Pontifici communicare, & pro interprete Patrem Fan admittere velit: Id quidem spondebat Legatus, postulabat tamen, ut se præfente hoc secretum in idiomate Lusitano, Latino vel Italo con-

Sæc. XVIII.  
A. C. 1721.

Sæc. XVIII. scriberetur, eo fine, ut ipse totum ar-  
A. C. 1721. canum Pontifici eo fidelius exhibere  
 valeret: postea Mandarinum Imperatoris  
 jussu Legato nuntiabant, ut protinus  
 Aulam accederet, & Patrem Pereiram  
 necnon Benedictum Rovedam Missio-  
 narium, qui Jesuitis oppido propensus a  
 Legati Sacello erat, secum conduce-  
 ret: Igitur Legatus Sinensem vestem,  
 quam *Vai Tau* vocant, indutus, cum  
 solo Patre Fan & Roveda ad alloquium  
 admittitur, quid vero Imperator tum  
 proposuerit, coram ceteris Missionariis  
 diu adeo religioso premebatur silentio,  
 ut etiam Pater Fan desuper a multis  
 interrogatus, semper responderit, vel  
 minimum revelare, sibi sub capitis pœ-  
 na esse prohibitum: Legatus tamen,  
 cum Pontificem desuper certiozem red-  
 dere teneretur, valde autem dubitaret,  
 an non vel morte præventus, vel Pe-  
 ckini perpetuo carceri mancipatus, id  
 per seipsum præstare præpediretur, hujus  
 colloquii relationem a Roveda exara-  
 tam Patri Vianio Confessori suo impo-  
 sita silentii religione consignavit, atque  
 addenda addidit.

Interrogabatur igitur Legatus ab  
 Imperatore coram P. Fan Interprete,  
 & Benedicto Roveda.

I. An

I. *An ea, quæ sua Majestas proponere intendit, se soli Pontifici manifestaturos promitterent?* Id pollicebantur omnes. Sæc. XVIII.  
A. C. 1721.

II. *Utrum Pontifex sæpius cum Legato conferat, & an inter Europæ Principes, in Germania, Galliis, & in Hispania tam ob religionem, quam propter profanas controversias bella serverent:* Respondebat Legatus, ibidem pro temporalium possessione bella geri, quantum vero ad religionem omnia esse constituta in pace.

III. *Reponebat Imperator, non mihi videtur, pacem in Francia vigere. R. quantum mihi constat, Francia fruitur pace.*

IV. *In hac Aula nostra alii dantur Legati, v. g. Moscovicæ, Corrcæ, &c. non tamen in tanto habentur honore, sicut Tu, quia Pontificis Legatus es R. Etiam nomine Pontificis propterea Majestati suæ grates rependo.*

V. *Enimvero multa ab Europæis & præcipue a Mathematicis didici, eisque obstrictus sum, & nihilominus iis neglectis Tecum familiarius ago. R. ob singularem hunc affectum erga me, obstrictissimus sum.*

VI. *Ut Tu pacis studiosus & tranquillus permanes, desidero, & certus sis, me hominibus abjectis, & ignobilibus, præcipue Pedrinio & Ripæ aures non præbiturum,*

Sæc. XVIII. rum, *Pedrinium enim mobilis ingenii homi-*  
 A. C. 1721. *nem esse sæpius sum expertus; suntque mihi*  
*literæ in manibus, quibus ipsum talem esse,*  
*Te convincere possem, quas tamen, ne*  
*meum exasperarem animum, Tibi exhibere*  
*nolo: scias autem, me nullius studio ab-*  
*ripi, sed multis in occasionibus, semper*  
*tamen incassum, hos cum illis conciliare*  
*studuisse. Respondit Legatus, nequiter*  
*hi egerunt, & Majestatis vestræ admi-*  
*ror moderationem, qua hos Europæo-*  
*rum defectus supportavit.*

VII. *Procuravi insuper ad mutuam con-*  
*cordiam revocare ceteros Missionarios, qui*  
*ob Nationum diversitatem diversos etiam*  
*fovent affectus, minus vero capere possum,*  
*quod ipsimet Jesuitæ inter se discordes sint,*  
*præterea omnes Missionarios in unam do-*  
*mmum congregare studui, ut sint ejusdem*  
*mentis & sententiæ, ast frustra, eorum*  
*enim unus se Clericum, alter Franciscanum,*  
*hic Jesuitam, ille Dominicanum esse dice-*  
*bat, & mira prorsus mihi videtur ingens*  
*hæc discordia. R. Offensiones Majestati*  
*Vestræ ab Europæis illatas deprecor,*  
*hacque de re singularis ejus patientia*  
*in tota Europa singulariter celebratur;*  
*ut ergo hæc discordia tollatur, V. M.*  
*mihi concedat, ut mihi cum illis agere*  
*liceat, omnemque adhibebo operam,*  
*ut illos in pace unire valeam.*

VIII.

VIII. *Num te id effecturum, mihi spon-* Sæc. XVIII.  
*des?* R. non quidem polliceri audeo, A. C. 1721.  
 spero tamen.

IX. *Quomodo autem Pontifex Viris*  
*adeo inter se discordibus, & rerum Sinen-*  
*sum ignaris, quorum hic rem tali, alter*  
*alio modo refert, fidem adhibere, & de*  
*rebus Sinicis judicare potuit, cum tamen*  
*ego de Europæis judicare non auderem?*  
 R. Pontifex audita utraque parte, &  
 rebus diligenter atque exacte discussis,  
 prout ipsemet testatur, definivit, ejus-  
 que definitio firmatur per assistentem  
 Spiritum Sanctum, qui, ut Pontifices  
 in fidei rebus errare possent, non per-  
 mittit, de cetero autem Pontifex non  
 de rebus Sinicis, sed de rebus ad re-  
 ligionem spectantibus judicavit.

X. *Id esse nequit, reposuit Imperator,*  
*quia Pontifex de rebus Sinicis male edoctus*  
*est: Amo vestram religionem, & eundem,*  
*quem Vos, adoro Deum, & si Tibi quod-*  
*dam occurrit dubium, veni ad me, & ego*  
*illud dissolvam: Tecum, quamvis alienigena*  
*sis, familiariter ago, quia Pontificis Le-*  
*gatus es, & tuam amo quietem, & salu-*  
*tem procuro.* R. Pro affectu in nostram  
 religionem, & venerationem erga Pon-  
 tificem, propensumque in me animum,  
 humillimas refero grates, ac vicissim  
 polliceor, me in dubiis, in quibus al-  
 ter-

Sæc. XVIII. terius arbitrio stare licet, ad Majestatis  
A. C. 1721. vestræ oraculum recursurum.

Hujus colloquii relationi, nonnulla  
Legatus subjunxit, & quæ Interpretis  
vicio irrepserant, correxit, „& quidem  
„I. ad tertiam propositionem Legatus  
observavit, Imperatorem non dixisse:  
„*non mihi videtur, pacem in Francia vi-*  
„*gere, sed assertive pronuntiasse, quod*  
„*credere nequeat, Franciam observare*  
„*Constitutionem a Pontifice editam,*  
„*ac propterea Legatus responderit, quod*  
„*certo crediderit, ante quam ex Europa*  
„*discesserit, cuncta fuisse composita, id-*  
„*que Ulyssipone affirmatum fuerit: ve-*  
„*rum quidem esse ajebat, quosdam mi-*  
„*nus fuisse contentos, potissimos tamen,*  
„*eosque sanæ doctrinæ addictos æquo*  
„*sacræ Sedis judicio debitam præstitisse*  
„*obedientiam. „*

„II. Circa ultimam responsionem Le-  
„gatus certo confirmabat, quod Pon-  
„tifex a multis & præcipue a Je-  
„suitis probe de ritibus Sinicis fuerit  
„edoctus, ac insuper scripta, quæ Pa-  
„ter Provana, alique a sua Majestate  
„ablegati attulere, examinarit, & ra-  
„tiones ab ipsis nomine suæ Majestatis  
„propositas discussit, proin roget,  
„ut Ea persuasum sibi habeat, quod  
„Pontifex pro officii sui debito, & a  
„Spiritu sancto singulariter adjutus in  
„sta-



„statuenda Regula, juxta quam Mis-  
 „sionarii fidem nostram prædicarent, Sæc. XVIII. A.C. 1721.  
 „mature ac diligenter processerit.

III. „In decursu sermonis Majestas  
 „sua dixerat, quod, quia Viri ab Ea in  
 „Europam ablegati Sinas non fuissent  
 „reversi, nec ullum transmissum re-  
 „sponsum, haud temere suspicetur, eos  
 „violenta morte consentiente Pontifice  
 „fuisse sublato: ad id vero reposuit  
 „Legatus, rogans Imperatorem, ut  
 „sublata hac suspitione certissimus sit,  
 „Pontificis animum exhorrescere ad  
 „ejusmodi violentiam contra cujuscun-  
 „que Principis, multo minus Majestatis  
 „sue tantopere ab Eodem dilectæ Le-  
 „gatos intentandam; aliunde vero in-  
 „concussa lege in Europa stabilitum esse,  
 „ut nulla omnino molestia Principum  
 „Legati afficiantur, aliunde vero ho-  
 „rum mors nec Pontifici, nec religioni  
 „ullo pacto proficua fuisset: insuper  
 „omnibus notum esse, quod navi-  
 „gia, quibus PP. Barros & Beavoliers  
 „priusquam in Europam venissent, fue-  
 „rint undis hausta, & quod P. Raymun-  
 „dus nondum in Italiam delatus, fue-  
 „rit mortuus, & Pater Provana post-  
 „quam Romæ singulari honore fuerat  
 „exceptus, atque in Sinas remissus,  
 „multa circa Pontificis mentem Maje-  
 „stati sue oretenus referre jussus fuerit.

IV.

Sæc. XVIII. „IV. Dicebat Imperator, quod Con-  
 A. C. 1721. „stitutio contra Ritus Sinenses non spe-  
 „ctet ad religionem, sed sit vindictæ  
 „Jesuitis a Maigroto, Pedrinio &  
 „aliis intentatæ genus: Postrema  
 „hæc verba Pater Fan latine non red-  
 „didit, solus tamen Legatus ea perce-  
 „pit in colloquio diei decimæ Januarii,  
 „ubi Imperator eandem hanc propositio-  
 „nem sæpius repetiit, addiditque, se  
 „idem jam in secreto colloquio de-  
 „clarasse.

Finito hoc colloquio Imperatoris  
 jussu Legato pretiosæ vestes dono fue-  
 runt datæ, die autem quarta ejusdem  
 Mensis vicissim Legatus quædam mu-  
 nuscula suo nomine Imperatori per  
 Mandarinos obtulit: Præterea Pater  
 Wolfgangus Carmelita excalceatus,  
 & Scipelus Missionarius, qui ad Pala-  
 tii fores substiterant, retulere, quod  
 Imperator ad Pedrinium & Ripam hæc  
 protulisset verba: *Legatus vester est qui-  
 dem Vir probus & prudens, in rebus vero  
 gerendis parum exercitatus. Ego illum  
 instruere, solusque cum illo hoc Religionis  
 negotium componere volo. Vos interim  
 cavete, nec ipsius animum perturbetis, ac  
 propterea omnino vobis prohibeo, ne cum  
 illo agatis.* Die nona Januarii Manda-  
 rinus Chao unacum PP. Mailler & Fan  
 Legatum accessere, nomine Imperatoris

nun-

nuntiantur, quod si ipse ex suis quem- Sæc. XVIII.  
 piam Romam decernere, & Pontificem A. C. 1721.  
 de receptis a sua Majestate honoribus  
 certiozem reddere vellet, illum quan-  
 tocius Cantonem mitteret; ibidem e-  
 nim Europæam navim proxime ad In-  
 dias in altum provehendam: Verum  
 Legatus respondit, se id inscia sua Ma-  
 jestate minime ausurum, aliunde vero  
 se nondum posse circa principale nego-  
 tium certam Pontifici notitiam dare de  
 Imperatoris mente, utpote non satis  
 clara, in re ergo tanti momenti om-  
 nino expectandam esse decisivam ejus  
 responsionem. His vero mox opposuit  
 Mandarinus, sibi videri, seligendum  
 esse Benedictum Rovedam, eoquod Im-  
 perator in pluribus occasionibus men-  
 tem suam sat aperte declarasset, & quod  
 Pontificis Constitutionem in suo Im-  
 perio observari, permittere haud pos-  
 set; Sinensem enim Nationem suorum  
 Rituum esse tenacissimam, proin peri-  
 culosos in Imperio tumultus inde ori-  
 tuos: His dictis discesserat Mandari-  
 nus, Legatus vero annosæ hujus vul-  
 pis fraudem & conductitiam obsequii  
 simulationem subodoratus, rem pru-  
 denti silentio dissimulavit.